



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficultas I. De necessitate gratiæ ad actus honestos moraliter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

gratia, in ordine ad ipsam executivam potentiam, in actum deducendam.

PRÆMITTO 5. In presenti hac tria vel maxime expendenda. Primo: ad indigeamus gratiâ ad actus honestos moraliter. Secundo: ad vitanda omnia venialia. Tertio: ad perseverandum, ex quibus decisus reliqua innotescent.

DIFFICULTAS I.

De Necessitate Gratiæ ad actus honestos moraliter?

Plures hac in parte sententias collegit Ovied. contr. 3. à num. 14. principales duæ sunt. Prima Vafq. qui Prima 2da. 190. asserit esse necessariam gratiam per Christum ad talia opera, licet illa sit in entitate naturalis, voluitque illas actiones esse meritorias. Illum secuti sunt cum aliqua distinctione Torres, & Meratius & alii. Oppositum sentit Suar. hic lib. 8. à c. 8. referens se ad librum 2dum de prædest. Arriagi. d. 38. n. 8. Ovied. contr. 3. n. 77. licet cum restrictionibus. Sunt alia sententiæ mediæ. Prima est. Ripal. disp. 20. & 104. quod scilicet ex natura rei non sit necessaria gratia Theologica, ad aliquod bonum opus morale, sit tamen necessaria ex lege & providentia Dei, non propter ipsum opus naturale, sed ad aliud supernaturale circa idem objectum, quod semper fit, quotiescunque fit actio honesta naturalis. Secunda est Konin. qui disp. 8. de merito. dub. 4. n. 63. censet ad operationes iusti honestas moraliter, necessariam esse gratiam supernaturalem, eo quod illæ omnes iniusto sint supernaturales, licet non sit necessaria in peccatore. Sit

Punctum Difficultatis 1.

Proponuntur Argumenta pro sententiâ negantæ.

PRIMUM Argumentum est ab Auctoritate.

PRIMA Auctoritas est S. Scripturæ.

PRIMUS locus est ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, quem locum c. 8. à n. 13. pluribus ponderat Suar. ultimò sistit in Particula naturaliter, quod scilicet impleant legem, ductu naturæ & per vires ejus.

RESPONDETUR favere Suario aliquos interpretes, sed oppositos Augustino qui lib. 4. contra Julianum cap. 3. idem, inquit, naturaliter & sine lege, quia de illis loquebatur qui ex gentibus venerunt ad Evangelium, non ex circumcisione cui lex data est, & propterea naturaliter, quia aut crederent in eis est correctæ natura. Similia habet libr. de spiritu & litera cap. 26. quem sequitur Prosper, Fulgentius, & alii apud eundem Suar. quem locum exponens Anselm. ait, naturaliter

quidem sed non nisi per gratiam, & fidem quæ, renovat imaginem Dei. Adde ipsum Suar. monere ibidem n. 12. nihil pro hac sententia in scriptura expressum haberi, quia illa non negat hoc fieri majori aliquo adjutorio, præter concursum generalem. Quamquam ly naturaliter bona, potest supponere pro actibus in substantia bonis, quos actus in substantia, hoc est in se bonos, faciunt gentes, non addit autem script. bene illos fieri; cum tamen non nisi ad bene agendum sit necessaria gratia. Et ita datur elemosyna in substantia sine gratia, non tamen sine gratia potest dari intentione bona & modo debito, quod expressit August. lib. 4. contr. Julian. cap. 3. homines sine fide non ad eum finem hæc opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. Quamvis autem concedamus Suario, non esse necessarium ut semper infidelis malo fine faciat, sed negamus, quod ut bene faciat, non esse necessariam gratiam. Quando autem ponitur intentio mala pro exemplo, ponitur tanquam aliquid magis notum. Denique cum non dicat script. illos bene facere, simplicius accipientur verba si ponantur, Gentes naturaliter & sine gratia facientes quæ legis sunt, non tamen facientes bene, hoc enim non dicit scriptura.

SECUNDUS locus est, ex illo Matth. 5. si dilexeritis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, nonne & Ethnici hæc faciunt, ubi necesse est esse sermonem de dilectione bona, aliàs nullum esset argumentum Christi.

RESPONDETUR etiam hunc locum nihil agere de exclusionem gratiæ.

TERTIUS locus ex Petri Secunda, sed illic loquitur de dominis bonis quantumvis Ethnicis. Negatur tamen, illos habuisse hanc bonitatem sine gratia.

SECUNDA Auctoritas est Pontificia. Damната est hæc propositio 36. Baji. Cum Pelagio sentit qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit. Quod si tantum damnatur hic censura Baji, saltem apparet hanc sententiam esse immunem à Pelagianismo, hoc autem satis est, ut præferatur oppositæ, cum aliàs sit magis conformis Script. & Patribus. Deinde idem, propositione 37. sine censura pronuntiat quod omnis amor naturalis creaturæ rationalis, qui non est à Spiritu S. infundente charitatem, sit vitiosa cupiditas. Similia habet propositio 34. & 35. Rursus ejusdem propositio 28. est liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccatum sine let, ergo approbat virtualiter aliam contradictoriam Pontifex, scilicet liberum arbitrium sine gratiæ adjutorio aliquid posse facere quod peccatum non sit.

RESPONDETUR. Quoad propositionem 36. illa damnata non nisi ratione censuræ quam ferebat Bajus, positus enim propositionibus Baji, tum primum sub fine dicuntur aliquæ scandalo-

losa, aliqua hæretica, aliqua offendentes aures, particulatim autem singulis non apponitur censura. Quod autem dicit Arriaga n. 12. Bellarminum qui cum Bajo disputavit sensisse, quod hic stabilitum sit, posse arbitrium suis viribus aliquod bonum morale defacto efficere, id non convincit, fatetur enim Vasq. suam sententiam probatam fuisse Bellarmino, dum Romæ legeret. Quod autem dicit Cunerum qui Romæ contra Bajū egit, sensisse, quod non censura, sed ipsa propositio sit damnata, id non convincit, quomodo enim ausus fuisset eam Romæ defendere Vasq. Quod attinet ad propositionem 37. & 28. canon sequitur ex doctrina Vasq. Ratio, quia longe est alia hæc propositio, omnia quæ sunt sine gratia sunt peccata, & alia, nullum opus bonum morale sit sine gratia; primum non docuit Vasq. sed secundum, decisiones autem Conciliorum sunt nonnisi ut sonant accipiendæ. Et certe si aliquis admitteret actiones in individuo indifferentes, non faceret contra illum, dicta auctoritas, ita nec facit contra eum, qui admittit actiones bonas sine gratia, sed non bene factas. Denique intentio fuit Pontificum damnare intentum Bajī, qui in propositione 37. intendebat, quod omnis amor, qui non est supernaturalis (hoc enim ex phrasi Ecclesiæ significant illa verba, Spiritu Sancto infundente charitatem) sit actus vitiosæ cupiditatis. In propositione autem 28. intentio fuit Pontificum damnare, quod auferret indifferentiam à libero arbitrio ad non peccandum, cum ille independenter à gratiā poneret in arbitrio nonnisi determinationem ad peccandum, illis verbis, nonnisi ad peccandum valet: cum tamen gratia non adferat sed supponat indifferentiam. Nihil autem horum habet doctrina Vasq. Quando autem Trident. docet hominem justificari gratis; quia neque fides, neque opera quæ justificationem præcedunt, eam merentur, non hoc ipso supponit fidem illam, sine adjutorio gratiæ haberi.

TERTIA Auctoritas est Patrum. Expenduntur illæ nominatim, quas adducit Arriaga citatus.

PRIMUS locus est August. ex ep. 5. ad Marcellum, ubi cum agnovisset, Ethnicos non habuisse veram pietatem erga Deum, subdit, *custodientes tamen sui generis probitatem.*

RESPONDETUR. Nomine veræ pietatis intelligi, veram religionem, non addit, autem August. custodiam pietatis fuisse sine ullo auxilio gratiæ.

SECUNDUS locus ejusdem est, ex lib. de littera & Spiritu, cap. 28. de ludæis inquit, *nam & ipsi homines erant, & vis illa naturalis erat eis, per quam legitimè aliquid anima rationalis & sentiens faciat.*

RESPONDETUR. Sicut cum dico, inest beato vis, per quam videt Deum & amat, non sequi-

tur excludi lumen gloriæ &c. ita & in præsentia non excluditur adjutorium gratiæ. Ea autem quæ adducit Espar, ex ejusdem lib. cap. 27. ostendunt in Ethnicis opera bona, sed non exclusionem gratiæ.

TERTIUS locus est ex 3. lib. Hypognosticon post medium *quisquis ita dixerit, quod sine Deo num opus, quod ad sanctum ejus propositum pertinet, nec incipere nec perficere possit, Catholicus est.*

RESPONDETUR. Imprimis non constare quod hic liber sit August. sed etiam hoc polio dici potest, non significare hunc locum quod Catholicum sit sentire, sine auxilio gratiæ possi fieri opus honestum moraliter, quamvis non inspicere ad vitam æternam, de hoc enim illic non discurrebat August. sed tantum opponetur se illis, quod merita naturalia prærequirantur ante gratiam, vel quod gratia non sit necessaria ad merita vitæ æternæ, unde etiam inibi c. 4. 10. lūm negat, quod sine gratia supernaturali probiscantur opera sicut oportet ad salutem. Hinc etiam opera bona quæ à Bono Naturæ oriuntur, inferius dicit, non fieri sine Dei gubernaculo, quod venire potest nomine gratiæ naturalis, vel certe agnoscit illic opera bona, sed non bene facta.

QUARTUS locus est ex lib. 5. de Civit. cap. 13. ubi agnoscit opera aliqua pertinentia ad præsentis vitæ honestatem, & aliqua ad futuram immortalitatem.

RESPONDETUR. Non negare illic August. quod pertinentia ad vitæ hujus honestatem, fiant sine gratia.

QUINTUS locus August. est ex lib. de perfectione justitiæ, ubi hæretico objicienti, quod possit aliquis habere voluntatem nubendi sine gratia, respondet, *quasi pro magno habendam suam velle nubere, ubi de adjutorio divine gratiæ, operis suis disputatur* ubi videtur agnoscere Aug. quod sine adjutorio gratiæ possint ista fieri.

RESPONDETUR. Agnoscere August. quod voluntas nubendi possit haberi sine adjutorio gratiæ supernaturalis in entitate, causantisque volitionem supernaturalem, de hac enim gratia cum hæreticis disputabat August. Deinde ostendit argumentum hæreticorum esse à minori ad majus, viâ affirmationis, quasi dicat, non sequitur quod si daremus voluntatem nubendi esse sine gratia, etiam sequatur posse esse voluntatem credendi sine gratia, ex hoc autem nihil argui potest contra Vasq.

Citari solet etiam Auctoritas S. Th. 1. 2. d. 4. 109. a. 2. ubi de natura humana loquens ait, *potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquid bonum peculiare agere sine edificare domos:* Sed id non convincit: quia per ly virtutem suæ Naturæ intelligit exclusionem elevationis, opera enim non elevata dicuntur fieri per propriam virtutem; quod autem non excludat absolutè gratiam, verba quæ in fine articuli

articuli ponit, ostendunt, dum ait, in utroque statu indiget homo auxilio divino ut moveatur ad bene agendum. Concedimusq; Ovi ed. quod possit, hæc verba accipere de concursu generali, sed restat quærere, cur non possint accipi de auxilio gratiæ, præcipuè cum intentu S. Doctoris fuerit non loqui de necessitate concursus, sed de necessitate gratiæ, ut titulus articuli ostendit, instantiaq; de ægro quam inibi adducit hoc solū vult, quod sicut æger non caret principio vite, ita nec natura corrupta principio potenti operari bene, quia non caret indifferenti etiam ad bonum.

Citari solet Auctoritas Petri Diaconi lib. de Incar. cap. 6. Basilii hom. 9. de opere sex dierum. Prosperi cap. 22. contra collatorem & 26. sed primus, hoc tantum dicit; quod sine gratia antonomasticè dicta, hoc est, in entitate supernaturali, possint agi bona opera. Secundus solū intendit ostendere, quod voluntas independenter à gratia, non sit determinata ad malum. Tertius ostendit quod dentur opera, quæ vitam moralem honestare possunt, non agit autem quidquam de exclusione gratiæ.

SECUNDUM Argumentum est conflatum ex Rationibus quibus utitur Suar. & alii post ipsum.

1. RATIO est hic lib. 1. cap. 8. petita ex intrinseca facultate naturæ, quæ post peccatum non fuit destructa, neque in internis potentiis diminuta, sed tantum privata possibilitate, quam per gratiam & iustitiam ante peccatum habebat.

RESPONDETUR. Necessitas prædictæ gratiæ non oritur ex destructione naturæ humanæ, sed quod Selectio v. g. congruæ cogitationis pendeat à Deo, &c. similia.

2. RATIO ejusdem ex n. 49. Talis actus non est per se impossibilis libero arbitrio gratiæ destituito, nec semper est in individuo ita difficilis, ut sit necessarium adjutorium gratiæ, præcipuè cum ipse actus debeat esse in substantia naturalis, & de objecto proportionato.

RESPONDETUR. Etiam sine selecta gratia, non esse impossibilem talem actum libero arbitrio, nunquam tamen futurum sine illa, quia selectio cogitationis congruæ, quæ intercedere debet, non est in potestate creaturæ.

3. RATIO est ex cap. 13. ejusdem lib. petita, ubi hoc assumit, donum congruæ cogitationis, non esse extra dona, quæ primam creationem consequuntur, quasi ex naturali debito ac subinde non esse propriam gratiam etiam ordinis naturalis, quod ipsum sic probat. Quia hoc debitum potest considerari, vel in ordine ad naturam specificam, vel in ordine ad individua, prior respectu sumptæ naturæ est debita, quia debitum est aliis speciebus rerum, tale genus providentiæ, quo interdum opera connaturalia convenienter ac rectè secundum capacitatem suam naturalem faciunt, ergo idem debitum est, creaturæ intellectuali, secundum suam speciem sumptæ, quod etiam pluribus probat, est etiam debi-

ta hæc gratia individuis creaturis, ex pluribus capitibus, quæ ibi ponit inter alia, quod si singulis speciebus est debita dicta gratia, cum singuli Angeli differant specie singulis debet esse debita &c. &c. quæ in responsione tanguntur.

RESPONDETUR. Sicut ipsa entia aliter se habent inter se quoad modum agendi conformiter ad suam naturam, ita & modus providentiæ divinæ, est alius & alius. Porro etiam ita se habent quoad modum agendi conformiter ad suam naturam, ut determinent sibi nonnisi operationem rectam in illo ordine, deviatioque ab illa, non est nisi monstrum, vel miraculum. Porro natura intellectualis primò quidem intendit operationem rectam, sed non determinat illam sibi, unde etiā & providentia divina, aliter cum aliis creaturis, aliter cum natura intellectuali concurrit, nam cum aliis concurrit, ut nisi sequatur operatio, recta debeat uti extraordinaria providentia, quando autem non sequitur recta operatio in natura intellectuali, nemo dicit Deum tunc usum esse providentiæ extraordinariæ: idq; ex eo, quia ut dixi, creaturæ sunt determinatæ nonnisi ad unum modum agendi, nisi fortè aliter contingat per accidens, indeque fit, ut divina providentia secundum conditionem naturæ debeat providere, ut nonnisi operatio recta sequatur, secundum quod debitum Deus agens, non facit illis ullam gratiam, condistinctam à dono creationis. Quia verò intellectualis natura, non est determinata ad modum agendi nonnisi bene, fit, ut providentia divina non teneatur providere, ut nonnisi operatio recta sequatur; hinc si sequitur, beneficium Dei agnoscere debet: nec per hoc inferior erit conditio naturæ intellectualis, nam melius est moraliter bene operari & liberè, quam physicè & cum necessitate. Quamvis autem etiam in creaturis aliis, reperiatur quædam indifferentia contingentia, hæc illis accidentaria est, per se enim determinatæ sunt nonnisi ad operationem rectam, hinc illis ad eam providendo, Deus non facit gratiam, attendit enim ad id quod, per se & non ad id quod per accidens est, per se autem non est in nobis determinatio nonnisi ad operationem honestam. Unde inferes, nec toti speciei naturæ intellectualis, nec individuis debitam esse congruam cogitationem. Quod autem adfert Suar. de determinatione ad primam cogitationem, dici potest, decere quidem ut Auctor naturæ, primam cogitationem honestam offerat, sed decentia non obligante, sed cujusdam congruitatis adeoq; non excludente rationem, beneficij: quanquam salvâ suâ sanctitate, potest Deus etiam primam cogitationem non offerre congruam, quæ ipsa congruitas, si ponatur quoad suum seligi, non pendet à libertate humana; unde autem habeatur tunc ratio beneficij, ex dictis de aliis cogitationibus congruis petendum. Et sicut polita cogitatio supernaturali in omnibus

(V)

indivi-

individuis intellectualibus, incredibile videtur omnes dissenſuros, & tamen collatio talis cogitationis est ſpeciale beneficium, ita & in præſenti idem dicendum. *Ad alia ejusdem Suarii ſolventa.*

NOTO 1. Debitam eſſe naturæ, nec cogitationem quæ incongrua eſt, nec quæ congrua, ſed cogitationem, ut appellat Suar, indifferentem, eſt enim obligatus Deus ad dandum id, quod requirit natura intellectualis, ut poſſit liberè operari, non requirit autem determinatè cogitationem, quæ prævideatur determinatè non habitura effectum, vel determinatè habitura, ſed quæ compleat potentiam ad operandum.

NOTO 2. Quòd in occuſum objectorum, non poſſit ſelectio cogitationis congruæ referri, quia in eodem concuſſu, potuiſſet eſſe aliqua cogitatio congrua, ſed ſpectat ad Deum dare congruum. Et licet non poſſit præſumi prudenter, quòd Deus eſſet inſtituturus ordinem rerum, in quo non eſſet ſelecturus auxilia congrua, hoc non obſtante, illorum ſelectio, adhuc eſt beneficium, ut in ſimili videre eſt in ordine ſupernaturali.

NOTO 3. Generatio hujus potiùs hominis quàm alterius, eſt ſpeciale beneficium Dei, comparatione facta ad hominem non genitum; nihilominus generatio hujus hominis non eſt beneficium diſtinctum à beneficio creationis; ſelecta tamen cogitatio, erit diſtincta à gratia creationis, quia illa creatio ſeu gratia creationis, eſt idem realiter cum ejusdem generatione, jam autem cogitatio congrua, non eſt idem realiter, & inſuper nobis ad eandem rationem agendi non determinatis adfert utilitatem & c. nec moraliter loquendo, unà ſimul cum gratia creationis tanquam aliquid illi connexum conſertur, & idem moraliter beneficium eſt; cum gratia creationis, naſci ſub his conſtellationibus.

Continuatur Propoſitio argumentorum.

TERTIUM Argumentum eſt ex iis, quæ ſibi opponit Ripald. n. 99. & quo etiam utitur Eſparza. Non minùs propendet pars hominis ſuperior in objectum rationi conſentaneum, quàm pars hominis inferior in objectum conforme appetitui ſenſitivo, at ratione hujus propoſitionis ſapè agit homo opera conformia appetitui, ergo ratione propenſionis ſuperioris, aget opera rationi conſentanea.

RESPONDETUR. Utramquæ quantum ex parte objecti potentiam propendere in ſuum objectum, ſed non eodem modo, quia non indiget ſenſus aliunde eligibili congrua ſenſatione, eſtque in modo agendi neceſſitatus, niſi aliunde impediatur: jam autem voluntas & indiget cogitatione congrua, & ex eo quòd ſit in agendo libera, ipſaque ex ſe non eſt electiva alicujus antecederet efficacia, ſit, ut aliter ſe habeat, quàm potentia appetitiva.

INSTAT 1. Eſparza. Difficile imprimis eſt,

ut quis longo vivat tempore, quin vel una vice verum, vel ex veri amore affirmet, item quinquam concipiat affectum v. g. ſincera gratitudinis. Rurſus ſunt tales actiones externæ, quarum ſuperata difficultate, non reſtat ulterius difficultas in executione ob motivum honeſti. Denique quæ reddunt difficilem unum actum, eadem facilem reddunt alium, eſt ergo impoſſibile, ut dum eſt homo in ſtatu viatoris, ſit ſemper conſtitutus in impotentia morali omnium ſimul actuum honeſtorum. Quod ſi unicuique in eſt potentia bene operandi morali, atque in-dependenter à gratia per Chriſtum, poteritopus bonum ſine illa ponere.

RESPONDETUR. Hoc ipſum probati debuiſſe, quòd completa potentia bene operandi moraliter inſit homini ſine gratia, item quòd concipiat ſine gratia affectum ſincerae gratitudinis & c. ſimilia. Licet hæc gratias paſſim Deus offerat.

INSTAT 2. à pari. Habitus ſupernaturales, ſuis viribus, abſq; auxilio gratiæ ſibi indebito, poſſunt efficere actus ſupernaturales quamvis offerantur illis auxilia ſufficientia, ergo poterit, & natura rationalis uti ſuis viribus abſq; auxilio ſibi indebito, & agere opera naturalia.

RESPONDETUR. Concedendo totum, ſic ut tamen non ſequitur, quòd collatio gratiæ efficacis, non ſit gratia, homini etiam habitibus ſupernaturalibus inſormato; ita nec ſequetur in præſenti, immò hic ipſe medius terminus, eſt potiùs pro nobis, quia ſicut indigent adhuc habitus gratiæ, ita indigebunt & potentia.

QUARTUM Argumentum eſt ex Arriag. cit. a. n. 13. & oftendit imprimis quòd poſſit cogitatione boni & mali, non ſit neceſſaria ulla nova gratia, tenens ſe à parte voluntatis, quòd ſic probat. Voluntas eſt libera ad peccandum, & hoc ſine gratia Dei; ergo ex parte voluntatis habet, quòd requiritur, ut efficere poſſit opus bonum. Conſequentia probatur, quia non poſſet eſſe peccatum, niſi ſit potentia ad illud vitandum atque eo ipſo quòd ſit potentia ad vitandum peccatum, eſt etiam potentia ad bene operandum, vitando enim illud peccatum homo bene operatur, maxime in ſententia negante actus indifferentes in individuo. Ergo ſine gratia ſpeciali ex parte voluntatis, diſtincta ab ipſo concuſſu generali Dei & indifferenti, datur potentia ad aliquod opus honeſtum.

RESPONDETUR. Imprimis retorquendo argumentum, quòd ſcilicet ſit homo indifferens ad non diligendum Deum ſuper omnia amore obligativo; adeoque quòd deberet ex viribus naturæ elicere illum amorem, & tamen ſupponitur, ſi ille amor obligativus eſt, eſſe debere ſupernaturalem. Quòd autem dicit Arriag. de hoc argumentum tantum proponere, ut oftendatur aliquod opus bonum poſſe fieri ſine gratia, ſed non de omnibus, id non obſtat, ne dicat

argu-

argumentum probare multum, siquidem idem medius terminus aptari potest extra intentum. Directè autem ad objectionem dici potest, quod attinet ad hanc propositionem: potest homo sine gratia Dei peccare & non peccare, si faciat hunc sensum, non influente gratiâ in peccatum, est vera propositio, sed non sequitur posse aliquid bene fieri sine gratia: si autem faciat hunc sensum: potest homo sine gratia Dei non peccare, hoc est, quamvis non supponatur habere gratiam, est petitiô principii, probandumque restabit quod assumitur.

INSTAT idem n. 19. Moraliter est impossibile, ut in innumeris occasionibus bene operandi, ex quibus sæpissimè valde homini connaturale est bene operari, & verò connaturalius, quàm contrarium, ut amicum optimè meritum amare, impossibile inquam, tunc hominem cum concursu generali, aliquando non bene operari.

RESPONDETUR. Connaturalitatem quam assumit objectio, desumi ex ordinariâ collatione talium gratiarum, concursus autem ipse generalis non est is, qui de se natus sit adferre congruam & selectam cogitationem, quam tamen requiri, iteratò inculcatum est.

QUINTUM Argumentum Tanneri, eoque utitur etiam Ovid. cit. n. 29. Quia scilicet hæc sententia licet videatur attollere gratiam, eandem deprimit, quod sic ille proponit. Natura præventa cogitatione naturali, potest elicere actum conducentem ad vitam æternam, qui sit principium justificationis, & intuitu cuius dentur auxilia supernaturalia; oppositum autem Vasq. sentientes, negant talem actum posse elicere, ergo magis erigit naturam Vasq. Deinde quia Vasq. concedit eam gratiam ad opera bona moralia, quæ meritoria esse affirmat, ponit ergo gratiam quam Pelagius admittebat, neque enim ipse negabat gratiam naturalem. Et certe gratia necessaria ad opera moralia, oritur ex causis naturalibus, & singulari providentia Dei ita dispositis, ut docet Vasq. d. 189. n. 144. sed talem gratiam etiam admittebat Pelagius, ut constat ex alibi dictis, ergo sententia hæc cum Pelagio deprimit gratiam, & elevat naturam.

RESPONDETUR. In sententia Vasq. duo habentur, primum quod necessaria sit gratia etiam ad opera bona moralia: secundum quod illa opera disponant ad justificationem & quod intuitu, ejus dentur auxilia supernaturalia. Posset aliquis tueri nonnisi primum & negare hoc secundum, ut fecit Turrianus apud Ovid. cit. n. 18. Quod attinet ad objectum propositionis, differentia hæc est inter Pelagium & sententiam Vasq. quia præter gratiam naturalem, nullum aliud principium admittebat supernaturalia, admittit Vasq. differt item à Semi-Pelagianismo, quia illi ponebant merita conditionata æquivalentia absolutis, non admittit Vasq. Deinde quia deter-

minatio habenda: potius cogitationis congruæ quàm non congruæ, pendebat apud Semi-Pelagianos à viribus meris naturæ, in sententia Vasq. à Dei gratia per Christum. De hoc tamen argumento inferius adhuc agetur.

INSTAT 1. Ovid. n. 77. Quia quamvis congrua cogitatio sit speciale beneficium, quo caret ille qui habet cogitationem nonnisi sufficientem, nihilominus illa cogitatio non potest dici quod proficiatur ex gratia, quod ipsum probat n. 86. quia Patres dum asserunt bonum opus fieri non posse sine gratia, plerumque addunt hos terminos sicut oportet, ut addit Arausicanum secundum Can. 2. vel conveniens ad vitam æternam, ad salutem &c. ut habetur in Moguntino, Can. 5. Ergo opera illa bona, quæ fieri possunt non ut oportet ad salutem, non erunt facta ex gratia. Subnectitque idem Ovid. alia huc concernentia testimonia.

RESPONDETUR. Imprimis qui vellet tueri sententiam Vasq. prout ipse met illam tueretur, diceret ex hoc ipso illa opera esse ex gratia facta, quia conducunt ad salutem, sed quia hic modus tuendi non est ita expeditus, diceret cum Turrianus, opera non esse meritoria, proficisci tamen ex gratia, quia quamvis ea gratia quæ in controversia agitabatur inter Pelagianos & Augustinum antonomastice vocetur gratia, eaque sicut oportet, nihilominus & alia adjutoria possunt vocari, idque ex mente Patrum, gratia. Ratio. Auctoritas August. qui Epist. 95. agnoscit gratiam creationis; *etsi enim inquit, quadam non improbandâ ratione dicitur gratia Dei quâ creati sumus &c.* lib. de Spirit. & lit. cap. 35. *arbitrium inquit, ad Dei gratiam, hoc est, ad Dei donum pertinere,* lib. 4. contra Julianum, cap. 3. *agens de pluribus virtutibus moralibus gentilium, subdit; quanto ergo tolerabilius illas quas dicit in impiis esse Virtutes, divino muneri, quàm eorum tantummodo tribueres voluntati.* In dubiè autem gratia, munus divinum est. Prosp. contra Collatorem c. 22. reprehendit eos qui docent *sine ullo inquit, opere gratia, naturaliter omni animæ, semina inesse virtutum* Anselmus in lib. de Concor. par. 3. colum. 4. *cum omnia subjaceant dispositioni Dei, quidquid contigit homini, quod adjuvat liberum arbitrium, ad arripiendum, vel servandum, hanc de qua loquimur rectitudinem, suæ gratiæ imputandum est.* Conferunt autem tales actiones, tanquam removens, prohibens. Bernardus lib. de grat. & lib. arb. Porro ipsum (supple liberum velle) ut esset, creans gratia fecit. S. Thom. prima 2dæ q. 136. ar. 2. ad 2dum. *Dicendum quod bonum politicæ virtutis, commensuratum sit naturæ humanæ, & id eo absque auxilio gratiæ gratum faciente, potest voluntas humana in illud tendere, licet non absque auxilio gratiæ Dei.*

INSTAT 2. idem. Providentia quâ Deus condidit mundum, quatuor creavit elementa, caelos ita disposuit, licet id ita debitum non esset, &

(V) 2 tamen

ramen ea omnia ad beneficium creationis spectant, ergo idem dicendum de cogitationibus naturalibus.

RESPONDETUR. Si ponatur ordo creationis talis, ut omnia quæ sunt ordinis naturalis habeantur per modum indivisibilis objecti volubilis, hoc sensu collatio auxilii prævisi congrui, non erit beneficium speciale condistinctum à beneficio creationis. Caterum si non ponatur ordo creationis ita universalis, sed nonnisi ea ponantur in eo ordine, quæ directè positionem creaturarum concernunt, & ea quæ sunt accessoria ejusdem positionis, ut talis concursus planetarum, & qualitas &c. eo casu habebit rationem specialis beneficii collatio auxilii congrui, quavis in entitate naturalis. Ut ergo præscindatur occasio quæstionum de voce, hoc tenendum erit, si nomine beneficii specialis veniat id, quod est supernaturale, sic congrua gratia naturalis non erit beneficium speciale; si autem nomine specialis beneficii veniat id, quod non habet se tanquam formalis rei positio, nec se habet ut aliquid, moraliter loquendo, per modum ejusdè, & accessoriè se ad positionem habens, eo sensu beneficium congruæ cogitationis naturalis, erit beneficium speciale, distinctum à dono creationis; defacto enim cogitatio congrua, non habet se per modum accessorii sequentis hunc ordinem, siquidem etiam sufficiens cogitatio posset eundem ordinem sequi, nec cogitatio congrua habet se sicut in mundo est ortus solis & lunæ, quia non esset ejusdè mundi positio, si prædicta non haberentur, esset autè idem mundus, etiam non datà cogitatione congruà, nisi ex speciali beneficio.

INSTAT 3. idem. Ex dictis sequi, quòd etiam bruto fiat gratia, cum causæ ita cum illo concurrunt, ut sit perfecta generatio.

RESPONDETUR. Gratia nomen appropriatè sumitur per ordinem ad creaturas rationales, neque enim dicuntur apud nos bruta gratiam habere, vel unum brutum conferre gratiam alteri. Deinde cum determinent sibi bruta per se loquendo certum ordinem generationis, exceptis casibus, certè secundum illam determinationem operans Deus, non potest dici facere gratiam, sed explens ordinem. Quia autem creatura rationalis non est determinata ad habendam cogitationem nonnisi congruam, quæ ipsa de se bona est, & non sita in potestate donatarii in ordine ad illam seligendam, fit ut illius collatio, rationem beneficii specialis obtineat.

Punctum Difficultatis 2.

Proponuntur Argumenta partis affirmativæ.

PRIMUM Argumentum est deductum ab Auctoritatibus, ex quibus plurimas adducit citatus Vasq. brevitas causâ in compendium erunt adducendæ, & ex illis explicatis reliquæ intelligentur.

1. AUCTORITAS est ex eo, quia Aug. disputans contra Semipelagianos, exinde deducit etiam initium nostræ justificationis non esse ex nobis sed ex gratia speciali, quia non est in nostra potestate seligere auxilium, & habere hanc potius quàm illam cogitationem; habet hoc August. lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum, lib. 2. de peccat. merit. cap. 17. lib. 1. ad Simplic. q. 2. similia habet Ambrosius, lib. de fuga seculi cap. 7. & 19. quod etiam probant illa testimonia, in quibus cogitationes bonæ dicuntur esse à Deo, & ex gratia: quæ loca omnia in compendium redegit citatus Suar. cap. 16.

RESPONDETUR. Imprimis Augustinum egisse contra Semi-Pelagianos, non de cujusunque cogitationis selectione, sed cogitationis supernaturalis: quia illius erat intentio, convelle- re ipsam substantiam erroris; Semi-Pelagiani- mus autem voluit initium justificationis, esse ex meritis naturalibus. Deinde dici posset distinctas esse has quæstiones; an selectio talis cogitationis sit gratia in re, & an sit vocanda gratia, vel an sit distincta à beneficio creationis, primum illud innuunt dictæ auctoritates, consentiuntque oppositi, secundum non innuunt, in quo tamen vertitur controversia. Denique alia hæc est propositio; hoc auxilium non est supra exigentiam gratiæ creationis, & alia; hoc auxilium est debitum & consequens gratiam creationis. Prima propositio hunc sensum facit, quòd aliquid sit in eodem ordine cum gratia creationis, hocque concedent oppositi. Secunda propositio hunc facit sensum, quòd cogitatio congrua, sit per modum proprietatis gratiæ creationis, quæ propositio est falsa, quia etiam congrua cogitatio, stat cum ordine creationis. Imò cum ipse Suar. frequenter fateatur, gratiam hanc esse speciale beneficium, licet non distinctum à gratia creationis, hoc ipso debet agnoscere esse distinctum, non quidem ordine sed specialitate, quod etiam advertit Arriag. citat. n. 18. certè enim gratia creationis, est gratia communis. Quod attinet ad alias Auctoritates, duplicis sunt generis, quædam universaliter dicunt has cogitationes esse ex Deo, & ex auctoritates explicatione non indigent, dici enim potest, quòd cogitationum illarum selectio sit à Deo, licet non sint gratia simpliciter. Aliæ autem Auctoritates dicunt, quòd cogitationes illæ sint ex gratia, & hæc auctoritates vel procedunt de cogitationibus omnino sanctis, & supernaturalibus, quæ indubie sunt ex gratia, vel certè secundum alias phrasas Patrum, si sunt cogitationes merè morales, procedunt ex gratia cum addito.

2. AUCTORITAS est ejusdem August. & aliorum Patrum universaliter assumentium, bonum opus non posse fieri sine gratia, ita loquitur August. lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 8. lib. de Spir. & lit. cap. 28. epist. 106. & 107. lib. 4. contra Julian. c. 3. quod etiam significat

gnificat Ser. 13. de verbis Apostoli, ubi dicit: *ad-
jutorium Spiritus S. prorsus si desuerit, nihil boni a-
gere poteris*. Similia habet Prosper epist. ad Ru-
fin. & ad tertiam Objec. Gallorum lib. 3. con-
tra Collatorem, cap. 3. & cap. 22. Fulgentius de
Incarnat. & grat. cap. 16. & cap. 19.

RESPONDETUR. Quod ex auctoritates
procedant de cogitationibus congruis in ordi-
ne supernaturali, adeoque de meritis, ut latè il-
lustrat Suar. citat. cap. 20. n. 4. vel loquuntur de
gratia cum addito, adeoque non de gratia Au-
gustiniana, quæ est gratia sine addito. Quam-
vis autem non ubiq; hæc gratia appelletur cum
addito, nec semper appellatur gratia creationis,
vel gratia doctrinæ, id non obstat, quia ut re-
spondet Suar. non fuit necesse in singulis locis
eandem verba repetere, sufficienterque id colli-
gitur, ex doctrinæ serie. Quo etiam modo ex-
plicare possumus auctoritates scripturæ, in qui-
bus habetur, quod omnia gratiæ sint tribuenda,
quamquam in multis locis solum significat scri-
ptura, quod requiritur divinus concursus ad o-
perandum, imò idem applicari debet etiam de-
cisionibus & locutionibus Pontificum, quas
perstringit post alios Ovied. a. n. 88. Quando
autem Arausicanum Canone. 9. dicit; nemo
habet de suo nisi mendacium, & peccatum, hoc
solum significat quod Deus non sit causa, sed e-
jus causa, est non nisi creatura.

3. AUCTORITAS petita ex hac propositione
quam interdum assumunt Patres, quod liberum
arbitrium sine auxilio Dei, non nisi ad peccan-
dum valet, ita præter citatum Can. loquitur
Arausicanum Can. 22. & est Augustini senten-
tia 23. ut eam ponit Prosper, videturque hoc in-
nuere August. tr. 5. in Joan. in prologo librorum
de doctrina Christiana in expositione Psal. 142.
Ser. 13. de Verbis Apostoli, cap. 10. & 11. epist. 89.
q. 2. ep. 106. lib. 2. de peccat. merit. & remis. cap.
18. Similia habet Prosper, Fulgentius, Bernard.
Gregor.

RESPONDETUR. Imprimis sunt aliquæ pro-
positiones Baji censurativæ aliarum sententia-
rum, & aliæ sunt simpliciter dogmatizantes: in-
ter propositiones dogmatizantes est hæc 28. li-
berum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non-
nisi ad peccandum valet, & hæc propositio est
damnata à Pio V. & Gregorio XIII. non ergo
illà ut sonat potest se tueri Vasq. & alii cum ipso,
quia tamen agitur de auctoritate Arausicani &
aliorum Patrum citatorum, idèd distinguendæ
sunt hæc duæ propositiones, liberum arbitrium
de se non nisi ad peccandum valet, & hæc, libe-
rum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non ni-
si ad peccandum valet, prior propositio facit
hunc sensum: Auctor mali, solum est liberum
arbitrium, de seque id hoc habet, & prout con-
distinguitur à Deo, ut sit causa mali, quæ propo-
sio est vera & Catholica doceturque ab Arau-
sicano, quod expresse utitur hoc termino De se,

alia autem propositio facit hunc sensum: nisi po-
natur gratia, quidquid fiet, peccatum erit, &
hæc propositio non habetur in Patribus. De-
inde est alius modus respondendi eidem propo-
sitioni, quod scilicet ad singula opera, quantum-
vis moraliter non nisi bona, requiratur auxilium
divinum, licet illud non sit auxilium gratiæ sine
addito, vel gratiæ Augustinianæ. Denique dici
potest cum Suar. cap. 20. quod scilicet Patres
ita loquentes egerint secundum subjectam ma-
teriam & errorem, docebat Pelagius viribus
naturæ perveniri ad veram iustitiam & beatitu-
dinem, hinc Patres loqui debuerunt de homine
prout tendente ad vitam æternam, & quia circa
opera vitam æternam concernentia, duplex
non nisi distinctio adhibita, nempe de illis ut
conducentibus, & ut avertentibus à fine, hinc
fit, ut comparando Patres hæc duo extrema in-
ter se, dicant, non habere arbitrium liberum de
se nisi peccatum, quia si quid boni operatur ho-
mo in ordine ad illum finem, non suis viribus,
nec absque gratia Dei id facere potest; quam
responsionem licet impugnet Vasq. d. 109. num.
68. illà tamen in simili utitur, num. 183. ut ad-
vertit Ovied.

SECUNDUM Argumentum est. Nisi pona-
tur quod opera bona moraliter fiant ex gratia,
auferetur ratio divinæ providentiæ cui tribui-
tur concursus illarum causarum secundarum,
vel enim ipse concursus est à providentia ita ap-
plicante causas, auferente impedimenta & c. er-
go & congrua cogitatio provisa erit specialiter à
Deo, potuisset enim Deus res aliter disponere
ne congrua cogitatio proveniret, si autem hoc
non pertinet ad divinam providentiam, hoc erit
in Atheismum declinare.

RESPONDETUR. Quod non sit auferenda
ratio providentiæ divinæ, si illa cogitatio dica-
tur esse ex gratia sed cum addito, licet non sit ex
gratia sine addito, & gratia Augustinianæ.

TERTIUM Argumentum est. De ratione
gratiæ est, esse indebitam, jam autem tale auxi-
lium, est indebitum, alias singulis deberet dari
vocatio congrua.

RESPONDETUR. De ratione quidem unius
cujusq; gratiæ est esse indebitam suo modo, sed
non inde sequitur, ex qualicunque indebiti for-
malitate, jam constituendā illam gratiā in ratio-
ne gratiæ sine addito, seu gratiæ Augustinianæ.

QUARTUM Argumentum est à posteriori.
Quia si tale auxilium non esset gratia, frustra o-
rarem ut nobis detur, & licet homo posset o-
rare pro pluvia, quamvis illa non sit ex gratia,
quæ sit distincta à gratia Creationis, id inde est,
quia non est in potestate orantis illam dare, jam
autem in potestate orantis est, reddere auxilium
congruum, quod ipsum argumentum inde ro-
bur accipit, quia Patres contra Pelagium exin-
de quod pro bonis nostris operibus oremus, in-
ferebant dari gratiam.

(V) 3 RESPON-

RESPONDETUR pluribus viis. *Imprimis* quòd quamvis illa opera non proficiantur ex gratia Augustiniana, & sine addito, sufficit quòd proficiantur ex gratia. Nego autem quòd non possimus petere ut nobis detur auxilium illud speciale, quòd etiam quoad suum seligi, non est in potestate nostra, sicut nec pluvia, licet sit in potestate nostra quoad ipsam exhibitionem ejus, quòd constituit auxilium congruum in ratione congrui; unde jam ostenditur fons, eorum pro hoc auxilio, quia scilicet non est in nostra potestate illius selectio. *Alia via est:* quia scilicet multum probat, nonne enim nos postulamus à Deo bonam memoriam, sanitatis conservationem &c. simil. quæ omnia non sunt distincta à beneficio creationis & sunt quasi accessoria, sequentia conditionem principalis. Denique solvendum est hoc argumentum ipsi Vafq. quia posito quòd illa opera fiant ex gratia speciali, quando petimus auxilium naturale, congruum tamen, petimusne auxilium sufficiens an efficax? non sufficiens, quia tale non est beneficium cum specialitate. Si autem petitur efficax, nonne illud suo modo est in potestate nostra. Et hæc retorsio est ex Arriag. sed non multum urget ipsam Vafq. quia ille recurret ad excessum requisitum ad efficaciam, qui non est in potestate petentis.

Quando autem Patres ex eo arguebant opera fieri ex gratia, quòd pro bonis nostris operibus oremus, id non facit multum, quia etiam hic admittitur gratia, licet cum addito. Dicit etiam posset cum Ovied. n. 123. nempe Pelagianos negasse, quòd Deus influat in nostram voluntatem & actionem, sed in solum posse, ut refert August. lib. 1. de gratia Christi c. 4. operaque bona non magis dicebant pertinere ad Deum quàm mala, unde arguitur, pro ipsis operibus & habenda voluntate bona oramus ad Deum, ergo apparet quòd etiam hæc pertineant ad Deum & gratiam ejus. Jam autem qui negant auxilium congruum naturale esse distinctum beneficium, dicunt tamen fieri illa opera bona ex gratia creationis, & illa specialius ad Deum pertinere, adeoque quòd adhuc pro illis orare possimus.

QUINTUM Argumentum à pari. Non potest homo amare Deum super omnia sine gratia, ergo nec potest actionem honestam moraliter facere sine gratia.

RESPONDETUR. Imprimis nego consequentiam, quia procedere videtur à minori ad majus affirmativè. Deinde dici potest quòd etiam amor ille, & actio honesta moraliter sit processura ex gratia licet non sine addito. Caterum addendum est aliquid de ipso antecedenti.

Punctum Difficultatis 3.

Quid de Amore Dei super omnia, & de tentatione gravi, aliisque connexis.

EST necesse aliquid adferre de his duobus. An scilicet sine gratia possimus Deum amare super omnia, quòd principium assumitur ad ostendendam eandem necessitatem gratiæ, ad opera honesta moraliter; ad quòd propositum assumitur etiam illud principium, quòd non possimus tentationem gravem superare sine gratia speciali.

Quod attinet ad 1. Divisi sunt Auctores, nam aliqui etiam velleitatem amoris Dei super omnia, sine gratiæ auxilio non posse haberi contendunt, talis est Vafq. alii dicunt in pura natura id fieri potuisse, non tamen in corrupta, talis est Suar. Valen. Tanner. posse autem id fieri in natura corrupta docet Scot. Gabr. Molin. Grana. probabilique putat Suar. Sunt hic etiam aliqui termini distinguendi, nam Auctores intelligunt nomine velleitatis eam velleitatem, quæ scilicet potest componi cum peccato. Rursus amorem qui oblatâ occasione deserit Deum, licet ante illius oblacionem habeat voluntatem. Denique voluntatem quæ etiam oblatâ occasione perseverat, & observantiam divinæ legis imperat, secundus ille amor appellatur efficax in affectu duntaxat, tertius etiam in effectu. Hæc notatione terminorum posita.

ASSERO 1. *Quòd possit haberi amor naturalis Dei super omnia quoad velleitatem, & quoad actum efficacem in affectu, licet ad hoc requiratur gratia naturalis.*

RATIO prioris partis est, quia si potest naturali lumine demonstrari, Deum esse bonum super omnia, cur non & subsequi appetitus amoris super omnia, resolviturque hoc ulterius in hoc principium, quia id non implicat, nec disforme est ulli auctoritati. Pelagius enim non in hoc damnaatur quia admittebat dilectionem naturalem, sed quia nullam aliam admittebat, & illam ipsam dicebat esse sufficientem ad consecutionem beatitudinis. De quo ipso Naturali amore dici potest, quòd mortali peccato opponatur oppositione physica, sed non morali, ut loquitur Ovied. hic n. 146.

POSTERIORIS autem partis, seu quòd requiratur gratia aliqua, ratio peti potest ex dictis à Vafq.

ASSERO 2. *Quamvis concedi possit amor Dei naturalis super omnia absolutus, & efficax quoad affectum, non tamen concedi debet efficax quoad effectum, si debeat supponi diu & notabiliter durans.* Quia aliàs sine gratia supernaturali posset haberi diuturna etiam observantia præceptorum, cuius oppositum infra colligetur.

ASSERO 3. *Quòd non possit dari amor Dei naturalis super omnia, efficax in effectu ad omnem legem, & præcepta implenda.*

RATIO. Quia inter hæc præcepta sunt etiam aliqua, supernaturali non nisi actu explenda, ad quæ se natura, non extendit, ergo illæ actus non est efficax in effectu, ad omnia præcepta implenda.

ASSERO

ASSERO 4. *Si illa præcepta sint naturalia, observatio tamen illorum debeat esse conducentis in vitam æternam, etiam ad alia sine adiutorio gratia non potest se extendere amor Dei super omnia naturalia.*

RATIO. Quia etiam hoc videtur favere Semi-Pelagianismo.

ASSERO 5. *Quamvis observatio naturalis illorum præceptorum naturalium non esset sicut oportet, nihilominus ille actus non posset esse efficax in effectu, sine speciali auxilio.*

RATIO, quia ut daret homo perpetuò in illo actu accedentibus tentationibus ab extrinseco, & mobilitate creatà, videntur hæc indigere speciali aliquo adiutorio, licet non sit necessarium, ut sit supernaturale, ita post alios Ovid. contr. 3. n. 136.

RATIO. Quia nec ratione actus qui supponitur esse naturalis, nec ratione præceptorum, quæ supponuntur esse naturaliter implebilis, requiratur auxilium supernaturale.

DICES. Amor efficax non nisi in affectu, etiam excludit peccatum omne, ergo si efficax in effectu non potest haberi sine gratia eaque speciali, nec prior ille habebitur, & è converso.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia procedit argumentum à minori ad majus, via affirmationis.

Quod attinet ad 2. nempe, An possint vinci tentationes sine gratia? D. visi sunt Authores, aliqui dicunt ne levem quidem tentationem posse vinci sine gratia, talis est Vasq. Oppositum sentit Suar. Valen. Tanner. & alii apud Ovid. contr. 4. n. 3. Quod attinet ad tentationes graves, aliqui dicunt posse illas superari absque gratia, sed actu non meritorio. ita Duran. Stapleton. Egidius, Rubion. tribui etiam solet nostro Molina, sed illum vindicat Ovid. citatus. num. 23. non posse autem vinci sine gratia docet Suar. Valen. Tanner. & alii communiter. *Vi quæsto satisfiat*

ASSERO 1. *Sine gratia supernaturali non potest vinci gravis tentatio per actum sicut oportet.*

RATIO, quia hoc esset Pelagianisare.

ASSERO 2. *Sine gratia supernaturali potest vinci tentatio gravis, victoriâ, quæ non est sicut oportet.* ita post alios Ovid. cit. n. 34.

RATIO, quia etiam potest haberi Amor Dei super omnia naturalis, licet non sit ille futurus sicut oportet. Ergo & vinci tentatio gravis, licet non victoriâ, quæ sit sicut oportet.

ASSERO 3. *Quando sine gratia supernaturali vincitur tentatio gravis, ponenda est gratia specialis, licet ordinis naturalis.*

RATIO, quia etiam in ordine ad vincendum tentationem gravem per actum sicut oportet, requiritur specialis gratia. Ergo etiam in præfenti idem dicendum. Addo tamen, non ita id intelligendum esse, quasi cum sola etiam non speciali adeoque sufficienti gratia id fieri non possit, sed quòd non sit futurum. Hinc

ASSERO 4. *Independenter ab adiutorio speciali sive ordinis naturalis sive supernaturalis, potest physicè, loquendo, qualibet tentatio gravis superari, modo aliunde supponatur sufficiens auxilium.*

RATIO. Quia nulla tentatio etiam gravis aufert libertatem, & unumquodq; auxilium sufficiens adfert posse, negatio autem auxilii etiam sufficientis adfert impossibilitatem physicam, hinc sine gratia sufficienti supernaturali ob defectum comprincipii, impossibile est nobis operari supernaturaliter. Non multum autem utor hoc principio, quòd sine speciali auxilio sit impossibile moraliter vincere tentationem gravem, quia aliàs nec esset nobis liberum moraliter, consequenter succumbere non esset peccaminosum moraliter. Quidquid in oppositum dicat Arriaga citat. num. 15.

ASSERO 5. *Quamvis ordinariè nomine gravis tentationis veniat tentatio per moram temporis durans, ut docet Suar. lib. 1. cap. 24. n. 34. consentitq; citatus Ovid. n. 30. Potest tamen tentatio esse gravis, etiam minimo tempore durans.*

RATIO. Quia gravitas in intentionalibus non indiget commensurari temporis.

DICES 1. Patres absolute & simpliciter pronuntiant, impossibile esse sine gratia vincere tentationes.

RESPONDETUR. Totum hoc verificari, concessâ gratiâ sufficienti, vel efficaci, licet ordinis naturalis, si agatur de victoriâ quæ non sit sicut oportet.

DICES 2. Ex una parte dicit Scriptura, quòd mandata Dei non sint supra nos, ex alia parte, si independenter à gratia non est in nobis possibilitas etiam physica, ea servandi, quomodo non erunt supra nos.

RESPONDETUR. Non erunt supra nos, quia Deus se obligavit ad succurrendum sua proportionata gratiâ, & erit quidem in nobis independenter à gratia physica possibilitas observandi præcepta, h. e. voluntas pro potentia sumpta, non erit tamen completa ob defectum comprincipiorum.

ARRIAGA. Ut innui supra, independenter à gratia speciali, ponit in nobis potentiam physicam, sed cum impotentia morali ad non peccandum, hancq; dicit esse sufficientem ad peccandum. *Sed hæc doctrina*

NON SATISFACIT. Tum quia. Rejicimus prædeterminationem moralem, idq; cotitulo, ut salvetur libertas, ergo etiam & impotentia hæc moralis debet rejici, ut salvetur libertas. Tum quia. Siquis haberet potestatem impeditam physicè, non faceret actum liberum physicè. Ergo, & qui non facit idque ex impotentia, seu insufficientia morali, nō habet actum moraliter liberum, & tamen omnis actus peccaminosus, debet esse actio moralis. Tum quia: ea quæ adfert Arriaga, ostendunt, quòd interveniat major obligatio in præceptis naturalibus

(V) 4

quàm

quàm humanis &c. sed non ostendit libertatem moralem, non requiri ad moralem ipsius observantiam, vel moralem transgressionem, quo tamen sensu concedi possit impotentia moralis, per proportionem ex dicendis infra, colligetur.

DICES 3. Potest Berta superare tentationem fornicationis propter infamiam securam ex amissa virginitate: item si aliquis ex motivo venialiter malo, vincat tentationem: denique hæreticus potest subire mortem propter suum errorem, ergo ad vincendam tentationem non erit necessaria gratia.

RESPONDETUR. Quod attinet ad priores duas instantias, etiam amor ille defugiendæ infamiae, cum sit actus honestus moraliter, indigeat gratiâ proportionatâ, in hoc, quod est vel le fugere illam turpitudinem. Quod attinet ad duas illas posteriores instantias, illæ in præsentem non convincunt; quia doctrina oppositorum procedebat de actionibus honestis moraliter, non est autem actio honesta moraliter, mori propter errorem, vel vincere tentationem ob finem inhonestum. *Hinc jam*

INFERRI potest 1. Notitiam omnium veritatum non posse haberi sine gratia supernaturali.

RATIO. Quia multa sunt objecta, & multæ tales notitiæ, quæ sunt in entitate supernaturales, ergo illas habere, dependebit à principio supernaturali.

INFERRI posset 2. Notitiam veritatum maxime circa ea, in quibus potest bene vel male operari anima, requiri gratiam specialem à dono creationis distinctam.

RATIO. Quia circa hæc potest esse cogitatio non congrua, eritque necesse recurrere ad Deum feligentem congruam.

INFERRI posset 3. Ad multas veritates etiam naturales, requiri gratiam (quantumvis ordinis naturalis) majorem, tamen & specialio-rem, quam soleant ordinariè dari.

RATIO. Quia sunt aliqua objecta difficilia ita, ut illorum attingentia deponat comprincipium ordinariis majus, tale est objectum v. g. compositio continui, quadratura circuli, & alia similia, quæ veritates legitime attingi non possunt, vel ob suam difficultatem, sine gratia speciali licet ordinis naturalis.

DIFFICULTAS II.

Concluditur Intentum.

PROpositam questionem quæ intercesserat inter Vasq. & Suar. breviter compingo, determinando, an sit necessaria gratia per Christum ad actus honestos moraliter, licet illa sit in substantia naturalis. Ut voluit Vasq. an verò non sit necessaria. ut voluit Suar.

ASSERO 1. Quod opera honesta moraliter non possunt fieri sine gratia. Tum quia. non possunt

fieri sine cogitatione congrua, quam offerre spectat ad Deum; & non est in potestate operantis, selectio illius. Ergo non possunt fieri sine gratia. Tum quia passim exstant Locutiones PP. universales, quæ omnia nostra bona tribuunt gratiæ, sine exceptione. Tum quia nomine gratiæ venit donum ex amore collatum, & quidem in bonum donatarii, & tale, quod non sit situm in potestate donatarii; hæc autem omnia, conveniunt cogitationis congruæ ad bonum honestum, collationi.

ASSERO 2. Gratiam illam esse condistinctam à dono creationis, non quidem ordine, sed specialitate, & formalitate non debite per obligationem. Quod illa gratia non sit distincta ordine, nihil est in hoc difficultatis: Omnia enim ordinis naturalis, qualis supponitur illa gratia, habent eundem ordinem, cum gratia creationis. Quod autem illa gratia sit speciale donum distinctum à dono creationis. Ratio est: tum quia quæ sunt separabilia realiter, & quorum uno posito non ponitur aliud, illud habet distinctam suam entitatem; jam autem posito dono creationis, potest adhuc non poni congrua cogitatio ad bonum honestum moraliter; quod autem illud donum sit speciale. Ratio est: quia non est illa determinatio & connexio, ut posita gratia creationis, hoc ipso ponantur nonnulli congruæ cogitationes, connexæ cum bono honesto moraliter.

ASSERO 3. Hæc ipsa gratia an possit dici gratia sine addito, quæstio est de voce, melius videtur loqui; qui hanc gratiam nolunt esse gratiam sine addito: Ratio: quia gratia sine addito, est gratia asserta contra Pelag. & Semi-Pelagianos: hæc autem non debet esse stans in eodẽ ordine cum gratia Creationis: unde etiam admittebant illi præter gratiam creationis, gratiam doctrinæ, & exhortationis: quia tamen non admittebant aliquod supernaturale interius doctrinæ, erant. Et hoc expressit Aug. epist. 9. 5. ad Innoc. illam confiteatur apertissime gratiam, quam doctrina Christiana demonstrat, & prædicat esse propriam Christianorum; quæ non est natura, sed quæ sitatur natura, non auribus sonante doctrina, & alio quo adjuvamento visibili &c. sed subministratur spiritibus, & oculis à misericordiâ &c. Quamvis autem admittamus illa opera fieri ex gratia saltem latiori modo, nullo modo dicemus illa esse meritum aliquod de congruo ad salutem: quia hoc videtur accedere ad Semi-Pelagianismum saltem deductivè.

DICES 1. cum Ripalda d. 104. n. 113. Gratia philosophica debet esse gratia à dono creationis distincta, quæ sit donum naturæ rationalis, etiam in hoc rerum ordine constitutæ indubitum; sed plerumq; efficitur actio honesta moraliter sine hoc dono scilicet per cogitationem congruam, excitatam ordinario concursu agentium naturalium.

RESPON-